

## CAPUT IV.

De Beneficiis Curatis &amp; simplicibus; ac præcipue de Capellaniis.

1. Cura animarum alia quoad forum interius, alia quoad forum exterius.
2. A priori Beneficia proprie curata dicuntur.
3. Beneficium cura onere juvandi Parochum in Confessionibus audiendis, aut concionando non est Beneficium Curatum.
4. De Cura animarum quoad forum interius, quid dicant Concilium Lateranense IV. & Tridentinum.
5. Hæc etiam intelligenda de cura animarum Dignitatibus curatis annexa.
6. Obtinens Beneficium curatum vi sui tituli exercet omnia quæ Cura animarum requirit.
7. Neque ea sine causa, vel sine ordine juris adimi possunt.
8. Quæ dicantur Beneficia simplicia?
9. An Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium & Collegiarum veniat nomine simplicium Beneficiorum.
10. Quid de Capellanis: & quæ distinctio inter Capellam & Capellaniam?
11. Unde Capellarum origo? & quid primitus Capella S. Martini?
12. Capella postmodum dicta ædes sacra.
13. Quare dicta fuerint palatinarum? Et de Capella Aquigranensi.
14. Reges multa habentes palatia in singulis habebant Capellas, hisque Presbyteri erant præpositi.
15. Exemplo Principum alii quoque laici ceperunt extruere capellas.
16. Quomodo in Ecclesiis Parochialibus & Canonicatibus extrinxi ceperint.
17. Capella sine auctoritate Episcopi erigi non poterant; & inde in Beneficia transferunt.
18. Numerus Capellarum in Ecclesiis Canonicorum valde auctus; & quare?
19. Vigente vita communi Canonicorum, Capellani à Canonicis non distinguebantur.
20. Capellani aequè ac Canonicis ad persolvendum solemnæ divinæ Officium obstricti.
21. Canonicatus & Capellania reputantur Beneficia Uniformia.
22. Quomodo Canonicis se habere, debeant erga Capellanos.
23. Unde nomen Capellanorum hodie viluerit?
24. Pro reformatione Capellanorum conveniens esset, eorum numerum minuire.
25. Capellania in Ecclesiis Canonicatibus quæ ratione simplicia Beneficia?
26. Capellania in Ecclesiis Parochialibus aut separatim Sacellis quem in finem primitus instituta.
27. Ex prima institutione residentia personali videntur fuisse obstricta.
28. Sensim persuasum fuit, oneri celebrandi Missam satisfieri per Missam privatam; eamque alteri committi posse.
29. Hinc tandem consuetudine obtentum, hujusmodi Capellanas residentiam non requirere.
30. Hæc Beneficia antonomastice dicta sunt simplicia.
31. Beneficia hæc videntur quasi sine officio; quid de his statuendum in Synodo Tridentina postulatam nomine Regis Gallia.
32. Quid statuerit Synodus Tridentina?
33. Quibus hæc Beneficia conferenda.
34. Foundationes Missarum antequam in titulum Beneficium sint erecta, manent laicales.

I. Beneficium curata dicuntur, quæ animarum curam annexam habent.

Hæc cura si ad forum interius sive conscientia spectet, tunc Beneficium, cui similis cura est annexa, proprie vocatur Beneficium curatum; utpote cui proprie cura spiritualis animarum incumbit.

Si autem cura hæc dumtaxat pertineat ad forum exterium & contentiosum, vi cuius exerceat ea quæ sunt jurisdictionis spiritualis, qualia sunt inquirere, suspendere, excommunicare, a censuris absolvere aliaque similia, tunc Beneficia quibus hujusmodi cura annexa est, improprie dicuntur Beneficia curata; neque nomine Beneficiorum curatorum intelligi solent.

II. Beneficia itaque curata proprie dicta sunt, illa quibus cura animarum quoad forum interius, sive directionem conscientia annexa est; ita ut possessor hujusmodi Beneficii vi sui tituli habeat curam animarum in foro interno, respectu certarum personarum.

Hinc notat Rebuffus, quod de jure communi nullum Beneficium habeat curam, nisi habeat populum vel Clerum; cuius scilicet cura Beneficio annexa est, & Beneficio incumbit.

III. Primum itaque Beneficium aliquod non dicitur curatum, tamen ex lege foundationis debeat Parochum v. g. in officio concionandi, aut confessiones excipiendi assistere, eò quod hujusmodi functiones possint esse sine proprie dicta cura animarum: quæ non tantum requirit exercitium concionandi aut confessiones audiendi; sed ea omnia quæ saluti animarum populi aut Cleri, cuius cura Beneficio annexa est, necessaria & utilia sunt: ut sunt administratio Sacramentorum, non tantum Pœnitentiæ, sed & Eucharistiæ, Extremæ Unctionis & Matrimonii aliaque plura.

IV. De hac cura loquitur Concilium Lateranense sub Innocentio III. in cap. 14. de *Etate & qualitate Ordinandorum*, dicens: "Cum sit ars artium regimen animarum, dicitur præcipuum, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruant & informant, vel per se ipsos vel per alios idoneos viros super divinis Officiis, Ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare."

Similiter de hac cura loquitur Synodus Tridentina *sess. 23. cap. 1. De Reformat.* ubi supponit: "præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo, pauperum, pauperumque miserabilium personarum curam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere."

V. Cum ergo non tantum Pastoribus; sed & Decanis, Præpositis & Archipresbyteris Cathedralium & Collegiarum Ecclesiarum cura seu regimen animarum, pro variâ Ecclesiarum consuetudine & fundatione, incumbat, hi quoque recogitare debent, ea quæ ibidem Synodus Tridentina expressit, præcepto Divino sibi incumbere respectu Cleri & populi, quorum Cura ipsis ratione Beneficiorum vel Dignitatum commissa est, quodque regimen animarum ipsis incumbens, etiam dicendum sit, *ars artium*. Videri possunt quæ dicta sunt *part. 1. tit. 1. cap. 2. nu. 3.*

VI. Ulterius quia Beneficium curatum necessarîo requirit annexam curam animarum; consequens est, quod etiam exigat facultatem faciendi ea omnia, sine quibus hæc cura plenè exerceri nequit: ideoque habens beneficium curatum, vi sui tituli seu beneficii exercet ea omnia, quæ cura animarum requirit; nisi quædam specialiter ex generali ordinatione sint excepta & Episcopis reservata.

VII. Inde præterea concluditur, quod sicuti beneficium de sua natura est perpetuum, id est, ad vitam beneficiati, neque sine causa Canonica & non servato juris ordine eo privari in vitæ potest; ita nec cura animarum, omniaque ei

## Pars II. Tit. XVIII. Origo, Definitio, &amp; Divisio Benef. 571

annexa ipsi auferri sine causa & forma iudicii servata adimi, neque in iis impediri, aut ab iis suspendi. Si enim hæc adimerentur, jam ipsum Beneficium quodammodo, saltem pro parte adimi censeretur, ademptus iis, quæ Beneficio ratione causæ animarum annexa sunt.

VIII. Beneficia quæ non habent ullam curam animarum, nec in foro interio, nec exteriori utpote quæ nec populum nec Clerum, in quem hujusmodi curam exerceant, habent, nec ullam administrationem, vocantur Beneficia simplicia, uti communiter notant Canonistæ; qualis simplicis Beneficii meminit Gregorius IX. in *Cap. fin. de Præbendis*.

IX. Canonicatus Cathedralium & Collegiarum Ecclesiarum nomine simplicium Beneficiorum venire, communiter docent Canonistæ: quamquam in materia odiosa nomine Beneficiorum simplicium non venire Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium propter eorum eminentiam, & quia quasi ipsis Dignitatibus comparantur in *Cap. STATUTUM De Rescriptis in VI. doceant plerique Doctores; & ita videtur habere stylum Curia Romana, ut in materia restringibili, v. g. dispensationis, non veniant Canonicatus Cathedralium, nisi exprimentur, uti observat Garcias De beneficiis *parte 1. cap. 6. nu. 56.**

X. Beneficiis simplicibus etiam annumerari solent Capellaniam sive Capellam, tum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, tum in particularibus sacellis vel oratoriis fundata.

"Præctici Romani (ait Rebuffus in *Praxi Benef. tit. 2. Seculare Beneficium quotuplex num. 14.*) faciunt distinctionem inter Capellam & Capellaniam. Nam Capellam vocant, quando est corpus per se & Ecclesia per se; & tunc litteræ Apostolicæ diriguntur Rectori talis Capellæ. Si verò altare sit in aliqua Ecclesia, tunc dicitur Capellania, & vocari solet perpetua, & dirigitur rescriptum tali N. perpetuo Capellano."

XI. De varia Capellarum atque Capellanorum significatione, eorumque origine latè tractat Du Cange in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis verbo *Capella*, & verbo *Capellanus*.

In formulis Marculfi Monachi *lib. 1. cap. 38.* fit mentio *Capellæ S. Martini*: præcipiturque juramenta præstari super hæc Capellam. Credit Hieronymus Bignonius in notis ad hæc formula, hoc loco *Capellam* pro capla dici, in qua Martyrum ossa conderentur. Reliquias igitur Sancti Martini (ait) asservatas in Palatio innotuit hæc formula.

At Du Cange loco citato credit hic capellam non accipi pro capella in qua Sanctorum Reliquiæ conduntur; sed pro brevi capla sive veste S. Martini.

XII. Quidquid sit, hoc notat ibidem Cangius, quod *Capella* postmodum appellata sit ædes ipsa in qua asservata est *Capella* seu *Capella* S. Martini intra Palatii ambitum in ædificata: in quam etiam præcipue Sanctorum aliorum reliquiæ illata: unde ob hujusmodi reliquiarum reverentiam ædificata illa *Sancta Capella* vulgo appellata. Ita ille; qui pluribus argumentis id confirmat.

XIII. Monet deinde quomodo *Capellæ* illæ dictæ fuerint *Palatinae*: eo quod in Palatio aut circa Palatium Regum & Imperatorum constructæ essent: atque inter præcipuas Francorum Regum Capellas Palatinas extitisse insignem illam Aquigranensem *ex toto Romanorum orbe famosissimam* ut ait Gaudfredus de vita S. Bernardi *lib. 2. cap. 6.* Sermonem Caroli M. Imperatoris de fundatione hujus Capellæ refert Miræus in codice piarum donat. *cap. 1. 1.* asseritque ibi Carolus, se "pignora Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, à diversis regnis & præcipue Græcorum collegisse, quæ (ait) huic sancto intuli loco, ut eorum suffragis regnum firmetur; & peccatorum indulgentia condonetur."

XIV. Cum verò Reges complura haberent Palatia, id que fere in qualibet Provincia, erant quoque in iisdem Palatiis ædes sacrae, quæ propria appellatione *Capellæ* dicebantur;

in quibus sacra Divorum Lipsana, quæ secum deferri à Capellanis faciebant, reconderent & asservarent.

His Capellis præpositi erant Presbyteri & Clerici, qui ibidem Divinum officium peragerent, atque inde *Capellani* Palatini vel Regii dicti: creditque Ludovicus Thomassinus de *Discipl. Eccles. parte 4. lib. 1. cap. 43. num. 3.* præcipuum scopum Sacellorum Regiorum fuisse, ut ibi Presbyteri Divinum officium persolverent, cui Principes cum sua familia possent assistere.

XV. Lapsu temporis exemplo Regum & Principum, alii etiam fideles laici ceperunt ad honorem alicujus Sancti extruere ædificulas sive oratoria: idque subinde separatim ab Ecclesia Parochiali, aut alia Collegiata vel Cathedrali; etiam constituta dote pro Sacerdote, & fabrica aliisque ad Ministerium aliaque Divina officia peragendum necessariis. Hæc Oratoria capella, & postmodum Sacella quoque dicta fuerunt, & Presbyteriis præpositi capellani vel Sacellani.

XVI. Dein Laici non sufficientes extruere hujusmodi separatim Sacellum cum conveniente dote, ceperunt in ipsis Ecclesiis majoribus tam Parochialibus, quam collegiatis & cathedralibus, laterales aliquas ædificulas, vel etiam altaria in honorem hujus illiusve Sancti, vel in memoriam alicujus mysterii vel miraculi extruere; eisque annexere annuos aliquos proventus pro Presbyteris qui his ædificulis vel altaribus præessent.

XVII. Jam pridem de capellis statutum legitur *lib. 5. Capitul. Reg. Franc. cap. 182.* "Ne capellæ in nostro Galatia vel alicubi, sine permillu Episcopi, in cuius est Parochia, fiant."

Hinc omnia illa Sacella, nec non altaria ubique Episcopi consensu constructa reperiuntur, & eadem auctoritate in titulum beneficii erecta: ideoque à nomine ipsius capellæ sive Altaris vel Sancti, sub cuius invocatione fundata sunt, ipsum beneficium seu *Capellania* vocari consuevit.

XVIII. Similium Capellaniarum numerus sensim mirum in modum in plerisque Ecclesiis tum cathedralibus, tum collegiatis auctus est; credideruntque earum fundatores augmentum hoc non parum ad decorem domus Dei, & Divinorum Officiorum profectum pertinere; dum hi Capellani non tantum Altaribus seu Sacellis præessent; sed una cum Canonicis diurnum pariter ac nocturnum officium Canonicum solemniter peragerent. Hanc enim fuisse fundatorum mentem, facile ex fundationum instrumentis intelligitur.

XIX. Scribit Molanus *lib. 2. De Canonicis cap. 34.* "Hi (scilicet Sacellani) quando adhuc vigeat Canonicorum veteris disciplina, quæ exigebat ut omnis Clericus canonicè viveret, non discernebantur à canonicis, neque nomine, neque functione. Nulla tunc erat distinctio Canonicorum à Sacellanis, imò nec nomen Sacellanorum usquam audiebatur, quod posteritas à sacellis derivavit, quasi innuere volens hos esse minores Sacerdotes."

XX. Quidquid sit de hac Molani reflexione, hoc certum est, Canonicos & Capellanos quoad præcipuam & primariam functionem & officium, quod est ipsa Divini Officii solemniter persolutio, convenire nec minus hos quam illos persolvendo huic Officio ex sua institutione obstrictos esse solere.

Unde rectè monet Molanus "eos meminisse oportere, ut in officio Ecclesiastico pie & devotè peragendo Majorum suorum seu Antecessorum exempla sedulo inspectentur; meminerint se ad altario & Ecclesia vivere, ut altario & Ecclesia irreprehensibiliter coram Deo & hominibus serviant."

XXI. Hinc ulterius hujusmodi capellaniam reputantur incompatibiles cum Canonicatu in eadem Ecclesia; & quidem incompatibilitate *primi generis*, ut ajunt, qualis intercedit inter Beneficia *uniformia* sub eodem tecto; ut latius dicitur *infra tit. 2. o. cap. 4.*

Ob eam officiorum uniformitatem, etiam Canonicorum & Capellanorum solet ferè esse vestium uniformitas; nisi quod sensim Canonici materia, & pellibus magis pretiosis uti ceperint; aliaque nonnulla præminentia signa sibi privatè tum in choro, tum alis Ecclesiasticis officiis attribuerint.

XXII. Solent Canonici in proventibus Capellanos multum excedere; atque ex hac temporalium abundantia factum, ut Canonici quasi Capellanis dominari ceperint, ipsosque famulorum quodammodo loco habere; de quo Canonicos monet Molanus dicens: "Canonici meminere eos Sacerdotes esse, ideoque ob Sacerdotii dignitatem numquam eis ut famulis abutantur. Meminerint eos, ex prima institutione Canonice vitæ, non minus quàm ipsi sint, Canonicos esse, ideoque semper ut *confratres* honorandos esse, & quàm maximè laborandum, ut cum iis pax foveatur & conservetur.

XXIII. Imò quia provenubus & dignitate Canonicis solent esse hodie multo inferiores, nomen capellanorum hujusmodi hodie quoque quodammodo viluit; ut nec ferè nisi tenuioris & vilioris conditionis Clerici ad eas soleant assumi: qui quod dolendum! sæpe etiam sordido ac mercenario plane modo Divina officia frequentant; sacra quasi pro stipendio celebranda, unde vivunt, conquirit, seu verius emendicant; & extra tempus Divini officii cum maximo populi scandalo ac cleri vilipendio & opprobrio otiantur, & reliqua quæ omnium consequuntur lætantur.

XXIV. Quibus Cleri reformatio incumbit, merito expectent, num convenientius ad Dei honorem & decorem Ecclesiæ non foret, si Capellanorum illorum numerus in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis ad minorem numerum reduceretur; ut ita lingui honestam sustentationem habentes, non cogentur ex emendicatis stipendiis & oblativis vivere; atque hinc ulterius contingeret ad Capellanas alium Sacerdotes eâ pietate ac doctrinâ & morum honestate, qui præter Officium Chori, Missarum celebrationem, alias etiam hierarchicas functiones obirent: sicque tandem vilium illorum ac otiosorum Sacerdotum numerus qui ad eam Ecclesiam scandalizat, & Sacerdotium in vilipendium adducit, saltem minueretur.

XXV. Ex hæcenus dictis perquam manifestum est, quod attentis similibus Capellanarum institutione, & moderno officio eis annexo, hujusmodi Capellanæ inter Beneficia *simplicia* sint reputandæ, eo modo quo Canonice præsertim Collegiatarum Ecclesiarum Beneficia *simplicia* dicuntur: quia *curam animarum* vel dignitatem annexam non habent.

XXVI. Capellanæ in Ecclesiis Parochialibus, aut in quibusdam Sacellis fundatæ, plerumque onus persolvendi Missarum solemniam annexam habent.

Notandum autem *Missæ* nomine pridem comprehensum fuisse Divinum Officium, ac præsertim ipsius Evangelii explanationem, quæ Missæ celebrationi connexa erat: ideoque admodum verisimile, has Capellanas primitus non esse fundatas eâ intentione; ut earum possessores satis facerent *simpliciter* Missam celebrando; sed ut se tamquam Ecclesiarum illarum ministros exhiberent Parochorum; aut sane ut in Sacellis divina officia convenienter fierent.

XXVII. Ulterius observandum, admodum verisimile esse, Capellanas has primitus fundatas, & in titulos Beneficiorum erectas, ut earum Possessores tamquam veri titulares hujus illiusve Ecclesiæ *perpetuò* ibidem *residerent*; atque ibidem officia Beneficio annexa *per se* expleant.

Sicuti enim primis seculis ordinatio ordinatum Ecclesiæ alicui particulari astringebat, ita juxta recentiorum disciplinam Beneficium astringit & incorporat possessorem Ecclesiæ in qua Beneficium illud est fundatum; eâ nimirum ratione, ut huic Ecclesiæ tamquam ejus minister, juxta officium beneficio annexum, deserviat. Unde etiam ex omnium Canonistarum sententia, omne beneficium quantumvis

tenuè obligat ad personalem residentiam; & si specialiter notat Fagnanus ad *Cap. Conquerente* & *De Clericis non resid.* dicens: "Beneficium quantumcumque minimum puta viginti sex solidorum, ex quo habetur pro titulo, de jure communi personalem residentiam requirit, adeò ut non residens beneficio privari debeat.

XXVIII. Verum postquam invaluit, ut nomine Missæ intelligeretur *Missæ privata*; persuasumque fuit, quod hi quibus onus Missæ celebrandi incumbit, defungerentur Missæ *privatæ* celebratione sine alia cujuscumque Officii Ecclesiastici persolutione, sensim quoque creditum est, quod in hac Missarum celebratione non videretur consideranda capacitas, aliave personalis qualitas hujus illiusve Sacerdotis; sed perinde esse, quis Missam celebraret: si modo expressè & nominatim in fundatione expressum non esset, quod capellaniam possidens *per se* celebrare deberet.

Hinc ulterius invaluit, Missarum celebrationem hujusmodi posse alteri Sacerdoti committi; idque sub Honorario celebrantibus dari consueto; si uestibus Capellanæ ex crescentibus ipsi Beneficio cedentibus.

XXIX. Hinc ulterius facile conclusum est: cum onus Capellanæ per alium persolvi possit, beneficium quoque ad *personalem* residentiam non obligari: quod dum visa multorum obtinuit, neque efficaciter per Superiores reprobatum, tandem consuetudine, quasi pro lege, obtinuit, hujusmodi Capellanias à residentia *personali* esse absolutas.

XXX. Dum ergo hæc Beneficia etiâ à *personali* residentia, adeoque ab omni quasi officio exempta fuere, merito antonomastice dici ceperunt beneficia *simplicia*; eaque ratione rectè notavit Fagnanus loco allegato, quod quidem *de jure communi* omne beneficium requirit *personalem* residentiam, sed ex *generali consuetudine* beneficia *simplicia* residentiam non requirant; nisi aliud sit inductum de jure specialis: supponens, propriè ea beneficia dici *simplicia*, quæ ex consuetudine residentiam personalem non requirant.

Hæc sunt illa beneficia, quorum meminit Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 17. De Reformat.* permittens possidentium unum beneficium quod ad vitam ejus honestè sustentandam non sufficit, aliud *simplex*, dummodo utrumque personalem residentiam non requirant, conferri.

XXXI. Verum quia beneficia dantur propter officium; injustumque apparet, ut proventus Ecclesiasticos percipiat, qui officium non præstat; neque Fundatorum animus fuisse apparet, in Clericos otiosos suos redditus profunderè; viderenturque hujusmodi beneficia otiosis Clericis & Sacerdotibus alendis ac multiplicandis unice penè servire; idcirco inter articulos pro reformatione Ecclesiæ nomine Caroli noni Galliarum Regis Patribus Tridentinis oblatos, erat hic vigesimus quartus: "Cumque plura sint beneficia, in quibus contra beneficiorum omnium institutionem invaluit *depravata* consuetudo, ut qui ea possident nullo tenentur concionandi, Sacramenta administrandi, aut alio onere Ecclesiastico, Episcopus cum consilio capituli his beneficiis curam aliquam spirituales imponat, aut si utilius videatur ea beneficia vicinioribus parochialibus Ecclesiis uniat; beneficium enim sine officio esse neque debet, neque potest.

XXXII. Synodus Tridentina hisce æquissimis postulatis aliquatenus satisfecit, dum unionem hujusmodi Beneficiorum tamquam primum medium, quo Ecclesiis Parochialibus tenuioribus provideri posset, assignavit *Sess. 14. cap. 13. De Reformat. & sess. 23. cap. 18. De Reformat.* Item beneficia simplicia Seminariis applicari & incorporari voluit; atque *sess. 24. c. 15. De Reform.* ad augendas tenues præbendas in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, declaravit quod "liceat Episcopis cum consensu Capituli alios *simplicia* beneficia, non tamen Regularia, illis unire.

XXXIII. Cum dubitari nequeat, quin Ecclesiæ atque Fundatorum intentio sit, ut hujusmodi beneficia conferantur iis, qui se tamquam Ministros Ecclesiæ exhibent; nec proventus Ecclesiasticos otioso consumant, indubie Patros

Patroni & Collatores similibus Beneficiorum allaborare debent, ut hujusmodi Clericis conferantur, de quibus verisimilis saltem spes apparet, quod operam suam utiliter Ecclesiæ impendant, & digni erunt qui de provenubus Ecclesiæ vivant.

XXXIV. Si Laici Missas aliquas fundaverint, etiam cum onere functiones hierarchicas obeundi; si hujusmodi fundaciones auctoritate Episcopi in *titulum* Beneficii erectæ non fuerint, nequaquam reputabuntur Beneficia; sed remanebunt in terminis laicalis fundationis; poteruntque sine Episcopi institutione Presbytero alicui fundaciones hæc ad tempus aut in perpetuum secundum tenorem fundacionis conferri: Bona quoque similis fundacionis non Ecclesiastica, sed laicalia censentur, & juxta conditionem talium bonorum ad hæredes devolventur cum onere à Fundatoribus impositis; publicis quoque oneribus, non secus ac laicalia bona erunt subjecta; uti latius post alios citatos deducit Barbosa *lib. 3. Juris Eccles. cap. 5.* Plura de hujusmodi fundacionibus dicta sunt supra capite primo.

## TITULUS XIX. De Ætate & Qualitate Beneficiandorum.

### CAPUT I.

#### De Ætate ad Beneficia requisita.

1. Nihil primis seculis de ætate Beneficiorum statutum; & quare?
2. Seculo 11. ceperunt Beneficia conferri non insignitis Ordine necessario.
3. Decreta Synodalia contra hunc abusum.
4. Vigentibus his Decretis non erat præfigenda ætas Beneficiis.
5. Seculo 12. mutatâ disciplinâ necesse fuit ætatem præfigere.
6. Concilium Lateranense III. præfixit ætatem Beneficis curatis & dignitatibus.
7. Eam præfixit independenter ab Ordinibus.
8. Decretum Concilii Lateranensis innovavit Synodus Tridentina.
9. Synodus Trid. requirit ad Dignitates non curatas annum 22. completum.
10. An hoc Decreto comprehendantur dignitates in Ecclesiis Collegiatis?
11. Veterum contentiones de ætate ad simplicia Beneficia requisita diremit Synodus Trid. requiritur 14. annum inchoatum.
12. Hæc ætas in Belgio etiam requiritur, licet sint Beneficia juris patronatus laici.
13. Quæ ætas ex præscripto Synodi requiritur ad Canonice Collegiata Ecclesiæ?
14. An major ætas requiratur ad Canonice Ecclesiarum Cathedralium?
15. Antiqua regula Cancellaria requirit 14. annos pro Canonice Cathedralium, & 10. pro Canonice Collegiatarum Ecclesiarum.
16. Hæc regula licet inter regulas Cancellariae hodie non referatur, tamen servatur in Gallia.
17. Ætas præcipue exigitur ut Provius sit capax oneribus Beneficii satisfaciendi.
18. Minores ætate, solo jure naturali inspecto, ad Beneficia aliqua promoveri possent.
19. Quomodo primitus pueri ad Beneficia fuerint promoti.
20. Vestigium istius est in pueris chori.
21. Conferre Beneficia Majora pueris functionibus obeundis in idoneis magnus abusus.
22. Potest esse interdum licita dispensatio super ætate.
23. Periculosum mediante hac dispensatione promoveri.
24. Dispensatio obtinenda à Pontifice & quomodo impetranda?

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

tionis; poteruntque sine Episcopi institutione Presbytero alicui fundaciones hæc ad tempus aut in perpetuum secundum tenorem fundacionis conferri: Bona quoque similis fundacionis non Ecclesiastica, sed laicalia censentur, & juxta conditionem talium bonorum ad hæredes devolventur cum onere à Fundatoribus impositis; publicis quoque oneribus, non secus ac laicalia bona erunt subjecta; uti latius post alios citatos deducit Barbosa *lib. 3. Juris Eccles. cap. 5.* Plura de hujusmodi fundacionibus dicta sunt supra capite primo.

**R**imis decem Ecclesiæ seculis nulli editi leguntur Canones qui ætatem certam Beneficii præscriberent; sed quidquid de ætate statutum legitur, id unice Ordines & Ordinandos spectat.

Quamdiu enim Beneficia ab ordinatione non fuere sejuncta; sed ordinibus ipsis mansere annexa: ita ut qui Ordine aliquo insigniretur, hoc ipso Beneficiatus illius Ecclesiæ, pro cuius necessitate aut utilitate ordinabatur, censetur, necesse non erat ætatem aliam requirere pro Beneficiis acquirendis, præter illam, quæ Ordinibus ipsis præfixa erat: cum ipse ordo loco Beneficii, & ipsa ordinatio collationis loco esset.

II. At dum circa seculum nonum & decimum Beneficia ab Ordinibus separati, & separatim ab ipsa ordinatione conferri ceperunt; tandem abusus invaluit beneficium conferendi iis, qui nec ætatem functionibus Beneficiorum obeundis; nec ordinibus suscipiendis, qui ad eas functiones requirebantur, necessariam attigerant. Huic abusui ut occurreretur, statutum fuit, ut nullus de cætero similia Beneficia accipere posset, nisi Ordine requisito *actus* esset insignitus.

III. Ita in Concilio Claramontano sub Urbano II. anno 1095. legitur: "Nullus Episcopus in Ecclesia sua, nisi *Diaconus* sit, Archidiaconum instituere, nec Archipresbyterum aut Decanum nisi *Presbyterus* sint, ordinare præsumat. Quod, ut districtius teneatur, Apostolicâ auctoritate prohibemus & interdiciamus." Apud Gratianum *Dist. 60. Can. 1.* Et Canone sequenti sub nomine Calixti Papæ legitur: "Nullus in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi *Presbyter*: nullus in Archidiaconum, nisi *Diaconus* ordinetur.

Prædicta Decreta renovata sunt in Concilio Romano sub Innocentio II. additurque: "Prohibemus autem ne adolescentibus, vel infra sacros Ordines constitutis, sed qui prudentiâ & merito vitæ clarescunt, prædicti honores concedantur." Apud Gratianum ibidem *Can. 3.*

Plura fuere sub idem tempus similia Synodorum Decreta, quibus statuebatur, nullum ad Beneficium esse promovendum, nisi *actus* insignitum Ordine requisito.

IV. Hac vigente disciplinâ necesse non erat ipsis Beneficiis specialem ætatem præfigere; sed hæcenus sufficiebat, eam Ordinibus suscipiendis esse præscriptam: cum non possent ad Beneficia promoveri, nisi *actualiter* Ordinibus essent insigniti; & consequenter ad ætatem Ordinibus præfixam pervenissent.

V. At cum jam Beneficia ab Ordinibus essent separata, eaque non amplius cum ipsa ordinatione conferrentur, difficile admodum fuit impedire, ne daretur Ordinibus